

Agri pars totius ciuitatis. Agri duas debere esse par-
ad diuinæ res, publicam, & priuatam. Vtramque ad-
officia de-
bet perti-
nere. *huc duplēcēm. Publicæ quidem vnam sic*
sumptus conuiuiorum: priuatæ verò vnam,
ad diuinæ officia; alterani, ad
regionis singuli curam habebunt maiorem,
& ab hostibus diligentiis cauebunt. Quo
locō Politicū quorumdam institutum cō-
memorat, qui ad consilium de bello finiti-
mis inferendo, vicinos indigenas non vo-
cant, quoram ob rem priuatam suspectum
sit consilium. Addit optabile esse, ut qui
agrū colunt, sint serui diuersarum natio-
num, imbelles ac minimè generosi, ob me-
tum rerum nouarum. Aut certè bābari, sed
ingenio naturā seruili. Duos autem eorum
oportere esse ordines, vnum priuatorum,
qui scilicet priuatorū agros sint exculti;
alterum publicorum, qui Reipublicæ siue
communes agros araturi sint.

Ad Cap. Undecimum.

STATUIT, eum debere esse vrbis situm, vt
 & continentis & maris commoditate
 abundet. Tum quatuor esse spectanda in
 situ vrbis; Valeudinem, quæ ab aëris & vē-
 torum salubritate maximè dependet. Itaq;
 vrbes ad orientem debere conuerti: Poli-
 ticas actiones, vt expeditiūs fiant: rem bel-
 licam, itavt vrbis sit ciuib. *εὐηξόδος*; hostibus
 verò *διατελέσθωσι*, *καὶ διατελέσθωσι*. Denique aqua-
 rum & stagnorum, quæ suppetere debent,
 capti vel yellex natura loci, vel ex amplioribus ci-
 obis. *Facilis accessus.* *Difficilis capti* *vel* *yelex* natura loci, *vel* *ex amplioribus ci-*
obis. *Sternis*, quas vocat *ποστεῖς ὀπέσιος ἐδαμ*
ἀρχόντος καὶ μεγάλας, postea agit *μετ' ῥοῶν ἐπυμῶν*;
de locis munitis, siue de mœnibus turribus;
 docētque non eodem modo vrbibus con-
 uenire, sed pro diuerso Reipub. statu, diuer-
 sa esse; sic arcem editam, *ἀκρότητη*, Oligar-
 chico vel Monarchico statui conuenire, ad
 custodiam regis, vel principum; loci verò
 æquabilitatem *ὅμοιότητα*, Democratiæ: Ari-
 stocratiæ autem loca munitiora plura: quia
 hæc magnum requirit præsidium, ob inui-
 diam ambitionum; illa minimum: cùm
 omnes etiam pauperrimi, imperij summam
 teneant. Vult ergo Aristoteles munitam
Munientur mœnibus vrbem, ad ornatum maiore, *da mœnia*
ad salutem & securitatem ciuium, & ad ho-
bus ciui-
tu. *stium* terrorem. Miscet non nihil de priuat-
 is ædificiis, in quibus extruendis ait debere
 & splendorem siue pulchritudinem, vt
 voluit Hippodamus, & robur siue firmita-
 tem, vt veteres, considerari.

Ad Cap. duodecimum.

STATUIT, primò in propugnaculis & tur-
 ribus publicis, quibus vrbis mœnia dis-
 tinguntur, debere conuiua publicaappa-
 rari. Secundò, templo deorum, & præcipua
 palatia atque triclinia magistratum vno in
 loco eoque idoneo, illustri, eminentiore, &

Tom. 3.

munitiore debere ædificari, & in quem non
 conueniant mercatores, vel sordidi opifi-
 ces, vendendi gratiâ. Tertiò, iuxta tem-
 pla & aulas magistratum extrui debere
 senum gymnasia. Rerum enim sacrarum
 vicinia, & præsentia magistratum reue-
 rentiam ingenerat & metum legum. Quar-
 tò, debere profanum forum, in quo scilicet
 res venales exponuntur, eo in loco consti-
 tu, qui ad merces è mari & agro impor-
 tandas sit commodior. Quintò, Triclinia,
σακρῖνα Sacerdotum debere propinqua esse
 factis ædibus siue templis; Magistratum
 verò, iuxta forum profanum. Sextò, quæ in
 agris fiunt conuiua ab agri præfectis, &
 Syluarum magistris, de quibus suprà lib. 6.
 cap. 8. debere eadem ratione fieri, quâ in
 vrbe. Et templo inibi alia Diis, alia Heroi-
 bus esse consecranda. Quo ex loco colli-
 git Martinus Borrhaus Aristotelem agno-
 uisse animorum immortalitatem, qui He-
 roibus nisi eos in altero seculo viuere cre-
 deret, honorem assignandum non sta-
 tueret.

Ad Cap. decimumtertium.

STATUIT bene felicitérque cum homini-
 bus agi, si & bonum finem sibi rectè
 propositum habuerint; & actiones siue me-
 dia ad finem illum conferentia inuene-
 rint. nimurū in omni arte & scientiâ esse
 τὸ τίκος, καὶ τὰς εἰς τὸ τίκος οὐείσης. Omnes beat-
 itudinem appetere, sed nō omnes assequi:
 qui animo melius affecti sunt, paucioribus
 egere vt sint beati; qui detertiūs, pluribus.
 Eam ciuitatis administrationem esse optimam,
 è qua beatitudo existat. Hanc esse
 vsum actionémque virtutis perfectam, non
 ex hypothesi, sed simpliciter. Actionem *Actio ex*
verò virtutis ex hypothesi perfectam, esse hypothesi
cam quæ necessariò fit, & quasi coactè, sed perfecta,
fit tamen propter bonum Politicum, illud-
que honestum, vt est castigatio scelerato-
rum ex Iustitiâ; optabilius enim esset ea
non vti; si fieri honestè posset. Simpliciter
verò, quæ absolutè honesta est ac per se,
siue, vt talis est, itavt numeros omnes bo-
nitatis habeat, fiatque ob dignitatem, vt ex
quæ in honoribus & bonorum copiis ver-
santur. Virum bonum rectè & sapienter vti
paupertate & morbo, licet contraria beatitudo
comitentur. Nempe quia vir bonus
quæcumque bona habet, ea per virtu-
tem facit simpliciter bona. Bona externa,
nō esse causas beatitudinis, sed instrumen-
ta ciuitatis: opulentiam & copias fortunæ
esse; virtutem verò & bonitatem scientiæ
& consilij. Esse verò ciuitatem bonam, si
ciues omnes, qui administrationis debent
esse consortes, boni sint. Ut omnes ciues
boni sint collectiè, debere singulos bonos
esse distributiè. Fieri autem bonos, na-
turâ, consuetudine, ratione, *quæ, id est*
naturæ.

Ad Cap. decimumquartum.

Agit de disciplinâ ciuium. Statuit, inter eos debere esse imperandi & parendi vicissitudinem: dummodo sint idonei ac virtute præstantes. Nisi forte vnu aliquis esset tanto virtute & sapientiâ cæteris superior, quanto Dij & Heroës hominibus præstant. Äquum esse ut seniores imperent, iuniores parcent. Neque id ægrè ferre debere iuniores: qui cum iustam ætatem attigerint, imperabunt. Prius parentum quam imperandum. Animi duas esse partes, rationalem, & rationis experiem. Illam debere imperare, hanc obsequi. Semper enim quod deterius est, eius gratia esse, quod melius est. Rationalem esse Theoreticam, vel practicam. Vitam omnem esse diuisam in negotium & otium, bellum & pacem. Actiounum alias esse necessarias & utiles; alias honestas. Illas esse propter has, ut partem animi inferiorem, propter superiorem. Ideo bellum suscipiendum esse pacis gratia, negotium, otium. Et quicquid sit, ad finem honestum & optimum esse à legislatore dirigendum. Et sic pueros aliósque qui institui debent, esse etudiendos. Malè Lacedemônios, eorumque Nomothetas, ad bellum, & opum ac imperij amplificationem omnia sua instituta retulisse. Hinc enim non potuisse pace frui, sed imperio potitos occidisse; quia cum ad otium & pacem non fuissent instituti, cessante bello nitorem suum & firmitatem, tincturam, colorem, immersionem, Gallicè, la trempe, Italice, ut aduertit Petrus Victorius, la tempesta, perdiderunt, ut ferrum quod nisi exerceatur, rubiginem contrahit. Hinc Scipio Nasica Carthaginem dirui noluit, ne Romani ad bellum nati otio & luxu perirent, vel deficiente externo hoste, in seipso arma conuerterent. Quare eodem vitio laborarunt Romani, quo Spartani.

Ad Cap. decimumquintum.

Statuit primò virtutes ad otium spectantes esse ciuitati necessarias. Sic scientias & artes, siue Philosophiam, ad pacem & otium requiri; ut fortitudinem & laborum tolerantiam ad bellum & negotia: temperantiam verò & iustitiam, ad utrumq; tempus, sed præseriat ad tempus pacis. Quo turpissimum est non posse se virum bonum & frugipræstare, cum in bello virtutem colas. quod erat vitium Spartanorum. Statuit secundò, debere prius institutionem fieri ex consuetudine & moribus, quam ex ratione, quia appetitus generatione prior est ratione. ut corpus animo. Et in pueris sese prius profert ira, & cupiditas, quam ratio. Prior ergo esse debet corporis cultura, quam animi; appetitionis quam mentis: sed ita ut corpus propter animum excolatur, appetitus propter mentem.

Philoso-
phia tēpore
pacis ne-
cessaria.

Corpus
propter a-
nimū ex-
coli debet.

Ad Cap. decimumsexturn.

Statuit Nomothetæ munus esse, ut prouideat cogitetur de matrimonio feliciter ineundo, eo scilicet fine, ut optimâ fiant eorum qui aluntur, corpora; quoruim cultus & educatio animi culturam debet antecedere. Itaque de tempore coniugij & de coniugū conditione debere esse sollicitum. Spectandam esse filiorum successiōnem, ut nec nimis ab ætate parentum distent; parentes enim sexagenarij aut septuagenarij, & filij quadriennies, vel septuennies, aut circiter, se mutuis beneficiis nequeunt satis adiuuare; neque etiam propius accedant ad ætatem parentum. Hinc enim minor est filiorum erga parentes reverentia; hinc discordia in familia. Docet verò, terminum generationis, in viris quidem ad summum esse annum septuagesimum; in mulieribus quinquagesimum. Adolescentulorum & iuniorum virginum coniugia non esse procreationi idonea. Quod si generent, fœtus nasci imperficiatos, & fœmellas potius quam mares, nec sine matris periculo. Præterea ex præmaturo coniugio reddi puellas fallaciōres, cum grandiores fiunt: item corporis incrementum impediti. Annum ergo matrimonij in puellis esse circiter duodecimum; in matribus tricesimum septimum. Temperatam verò copulæ maritali aptiorem esse hyemalem. Audiendos hac in re Medicos, & Physicos. Mulieres grauidas debere alimento copioso uti, corpore mediocriter exerceri, peregrinari, inuisere tempora deorum, qui partibus præsunt: mente quiescere, nec curis nimium occupari. Si fœtus nascatur imperfectior, eum tolli debere ac relinqui. Lex esto, inquit, μηδέ παρεπομπήν οὐτε φέγγην. Quod si lex vetet fœtum exponi, definiri debere numerum liberorum. Et si plures liberi, quam lex ferat, generari continet; procurandum esse aborsum, iumentū, antequam sensus & vita sit in geniturā: sic enim nihil fiet impium: neque erit homicidium, vel occisio rei vlli. Sed hæc Aristotelis sententia, Deo naturæ, & legibus repugnat. Sumus domini ipsisolutè, & per naturam, non hominum (nisi secundum quid) sed plantarum & bestiarum: quare licet quidem amputare & exurere stirpes, & catulos nimios abijcere, sed non homines; quorum solus Deus absolutè dominus est. Statuit postea, Seniores quinquaginta annis vel 55. non debere vacare tecnopœiæ siue generationi: Quia hinc fœtus nascuntur imperfectiores. Quanquam valetudinis gratiâ, aut aliam ob causam, veneri etiam reliquo tempore, inquit, liceat indulgere; putâ ut pax familiæ sit maior. Ideo Solon trinam in mense venerem lege sanxit ut notat Victorius, & si negligas uxoriām

Legel. 7.
de His-
ria anim.
c. 5. & 6.

Annusci-
iugij in
pueris 18.
inviris 37.

Errar A-
ristotelis
de abortu
procurredo,
& prole
imperfe-
tiori ex-
ponenda.

Puniendū vxoriam *μοιχίαν*, vxor negliget te. Conclu-
adulteriū. dit, in honestum esse ac illicitum adulte-
rium, & pœnā atque infamia castigandum.

Ad Cap. decimum septimum.

Lege c. 5. ¶ 12. l. 7. de Histor. Animal. **L**iberos recens natos lacte nutriendos
esse statuit, ita tamen ut nutrix vino
abstineat. quod ut lac serum, sic & puer-
rum venenum est. Item esse motu leuiter
leuitérque exercendos, à distorsione mem-
brorum machinulis prohibendos, frigori
assuefiendos: Sic barbaros solere infan-
tes primulū natos in flumen immergere;
& Gallos Celtas leuioribus pānis suos pue-
rulos integrēre, ad robur. Ethēc ad annum
vsque tertium: à quo ad quintum vsq; pue-
ros exercendos lusionibus honestis, inge-
nuis, non laboriosis nec remissioribus, imò
nec studiis, aut disciplinis, quibus scilicet
corporis incrementum prohibeatur. Interim
lepidis sed honestis & utilibus fabelli-
lis esse à pædonomis retinendos. Non de-
bere impediri pueros à clamoribus, & plora-
tatu: his enim quasi exercitationibus, cor-
pora augescere, cùm spiritus retentio ro-
but addat. A seruōrum consuetudine re-
mouendos, domi vsque ad septennium alé-
dos, & à turpibus spectaculis, verbisq; ob-
scenis, tunc maximè auocandos: Facta
enim verbis succedere. Quòd si qui contra
leges peccauerint, castigandos esse. Debe-
re statuas, picturas, fabulas & comedias
turpes ac deformes prohiberi, vsque ad
ætatem *καταλίτων*, & conuiuorum publi-
corum. Tunc enim disciplina eos contine-
bit. Debere pueros institui post annos se-
ptem. Institutionem verò distinguendam
esse secundū duos septenarios, itavt vna
sit ab anno septimo ad pubertatem; altera
à pubertate vsque ad annum vicesimum
primum. Sequendam naturæ diuisionem.
Omnem enim artem & doctrinam defe-
ctum naturæ supplere ac perficere, *πάντα τέ-
χνα, καὶ παιδεία τὸ προστάτευον βέλετη τῆς φύσις αἰ-
τηνεσσι*. Quod ferè dixit lib. 2. Physic.
cap. 8.

LIBER OCTAVVS Politorum.

Absolutur septem capitibus, quæ tota
sunt *πεῖρα μουσικῶν*, de rectâ ado-
lescentulorum institutione, deque Gram-
matica, Gymnastica, Musica, Graphica, seu
arte pingendi: sed maximè de Musica &
harmoniis.

Ad Cap. primum.

*Magni
momenti est
institutio
puerorum.* **A**dolescentulorum institutionem cura-
re diligenter debere Nomothetam,
hinc probat, quòd ea neglecta multa obue-
niant Rebus publicis incommoda; & ex ea-

dem si optimè fiat, nascatur optima Politia.
Tum statuit, debere omnes pueros eadem
institutionis forma, eaque publica erudiri,
cùm talis institutio ad vnum cùmque pu-
blicum finem, id est, ad commune bonum
Reipubl. tendat. Naturale enī est partem
excoli propter totum.

Ad Cap. secundum.

STatuit, inter ea quæ vitæ sunt utilia, dif-
fenda esse priam magis necessaria, quæ
tamē non reddant discentes sordidos, vi-
les & illiberales, *Gallicè mechaniques* &
abjects. Eas porro artes esse illiberales, quæ
ineptum corpus reddunt, vel animum ad
vilia depriment, neque disponunt ad vir-
tutis & honestatis officia. Tum ait non esse
illiberale scientiis liberalibus animum ad-
iungere, sed *μέγε τέλος*, quadam tenus. Non
enī decere ciues bonos, qui Republicæ
curam sunt habituri, nimios esse in sci-
entiis. Interim studere aut quidpiam aliud
agere sui causa, vel virtutis, vel amicorum,
non esse indecorum, aut illiberale: propter
alios autem, vel ob lucrum hoc esse *γάνκλα*, re-
g. *σεβανίον*, mercenarium & servile.

Ad Cap. tertium.

REcentes artes 4. quæ descendæ sunt
adolescentulis, Grammaticam, & Pi-
cturam, ambas enim ad vitæ usum, vt ad
loquendum, scribendum, ædificandum, lo-
corum descriptiones & opera artificum di-
judicanda, vitandam in emptione & vendi-
tione deceptionem, pulchritudinem cor-
poris cognoscendam multum valete. Quo
loco notabis, pingendi artem Aristotelis
πτ̄ται fuisse per celebrem. Tum Gymnasti-
cam, ad corporis exercitationem, & ad for-
titudinem conferre. Musicam non tam ad
ludum quam ad honestum otium, quod ne-
gotio est præstantius & suauius. Vbi ait, lu-
dum & iocum potius ad negotia & labores
referri, animi relaxandi gratia, quam ad
otium, quod beatitudinem honestamque
voluptatem continet. Ludum enim, qui
certo tempore usurpandus est, tanquam
medicamentum ad quietem; hanc, ad vo-
luptatem referri & beatitudinem, quam non
potiuntur qui negotiis & curis sunt impli-
ci. Addit sub finem, non decere magna-
nimos utilia ubique sectari. Concludit, pue-
ros Gymnasticæ & Pædotribicæ commit-
tendos; illi quidem, vt corpora nuda exer-
ceantur, sive fiant vegetiora, & ad fun-
ctiones suas paratiora; huic verò, vt fun-
ctiones & officia corporis perficiantur,
puta ad arma tractanda, & usum omnem
belli.

Ad Cap. quartum.

REprehendit eos qui fortem illā athle-
ticūmque habitum nimia Gymnastica
aut Pædotribica pueris conciliant; quod
inde puerorum forma & pulchritudo de-

Ferae animalia non sunt fortia genere. florescat, & eorum incrementa prohibeantur. Tum ait, Lacedæmonas in eo peccare, quod nimirum illis exercitus feritatem & inumanitatem velint pueris inducere: quasi feritas faciat ad generositatem & fortitudinem. Hoc enim falsum est. Cum videamus fortitudinem mansuetudini potius esse adjunctam in ipsis animalibus, ut elephanti, leonibus, equis, canibus, in quibus quædam apparent virtutum simulacra: hinc leones typi sunt principum fortium & clementium. Nam lupi, dracones, tigres ferae animalia fortitudine carent. Imò & feri illi sunt fortia homines qui carnes humanas vorant, *usque genere*, ideo dicti, ut Caribesij, & Caripuanani, fortes non sunt. Statuit igitur pueros leuiori ac leniori gymnasio exercendos usq; ad pubertatem, ne accretio impediatur. Tum per triennium aliis disciplinis tradendos, quibus exactis poterunt ad *diplomata*, cogi, id est, ad cibos Athletis necessarios, siue, ut alii legunt, ad *ένεργας*, siccium solidiusve alimentum, ut possint grandioribus exercitiis occupari, ita tamen ut eodem tempore, corpore & mente non laborent. Corporis enim labor menti est impedimento; ut labor mentis, corpori.

Ad Cap. quintum.

Musica commenda-
tatio.

Scaliger exerce-
re 302. nro. 2.

Agit de Musica vberius quam antea. Quærit an ea ludi & quietis gratia debet adhiberi; an virtutis & morum; an virtutis degendæ & prudètiae? Differit in utramque partem, & multa miscet, eaque præclara. Statuit, ludi & recreationis gratia Musicam esse adhibendam quæ naturalem voluptatem contineat, ideoque omni ætati, omnibusque moribus sit gratissima. Item ad mores eana animumque pertinere, cum moueat affectus, faciatque *άποστροφη* siue diuinam mentis permotionem: imò & conferre ad virtutem harmonia significatam. Et figuræ quidem visaque simulacra, animum utcunque mouere; sed Musicam multo potentius. Est enim in ipsa Musica & modulatione motus, ad cor usque, per aërem concentu plenum penetrans, quo motu carent imagines. Vbi obseruat debere adolescentes picturas eas intueri, quæ mores exprimant, quales erant non Pausonis, sed Polygnoti; qui hic dicitur *άγαμοντος*, *άγκων*, Pictor moralis, quia mores exprimebat. Docet postea aliter atque aliter animos affici harmonia, quæ prout varia est, ita & nunc mœorem, nunc languorem & molliiem parit, nunc moderatos & sedatos animos reddit, ut Dorica; nunc diuino quodam motu concitat, percellit, rapit, ut Phrygia. Cum ergo mores animumque Musica afficiat & præpareat ad virtutem, ea pueros erudiendos esse concludit, præfertim cum sit iucundissima hæc disciplina, & ab indole puerorum non aliena, ac demum

affinitatem quandam, *υψηλας*, cum humano animo habeat: imò & tantam, ut dixerint *humane πόναι τις οὐρανοί*, Pythagorei scilicet & Platonici, animum, vel harmoniam esse, vel harmoniam habere. Quanquam ipse Aristoteles opinionem hanc refutauerit lib. i. de anima, ut ibi annotauimus.

Ad Cap. sextum.

Statuit, pueros ita esse Musicæ præceptis & arte instituendos, ut eam etiam exerceant. Sic enim grandiores facti & hoc studium relinquentes, de aliorum arte peritiūs iudicabunt, utpote alias experti, & ipsi quamdiu pueritiam & pubertatis annos exigent, hac exercitatione iucundissima (quasi Archytæ crepitaculo, siue crotalo infantibus ad lusum dari solito, *πλακητῶν* vocat, Galli, *vñ hochet vñ cliquet à petites sonnettes*,) detinebuntur: ita tamen ut eam cum modo discant: nec plus in ea sapient, quam par sit, aut deceat honestos ac liberales. Imò nec quibusvis utantur instrumentis, ut tibiis, citharis, pectinibus, barbitis, heptagoniis, & similibus, quæ artem manuque, *τὰς πράξις τὰς κειμενούσις*, id est, ipsorum Musicorum artificum, postulant. Hoc enim sordidum esse ac illiberale. Ideo ingeniosè veteres fabulati sunt, Mineruam tibias abieccisse, quia fistulæ seu tibiae nihil ad rectam mentis institutionem conferrēt: & præterea sordidum est aliis canere, ob quæstum. Honestius agebat Philosophus ille qui auditore destitutus, se sibi canere dicebat & Musis.

Ad Cap. septimum.

Distinguit triplicem harmoniam, vel *Variae* *tres species cantilenarum*. Alias enim *τριῶν species* vocat Ethicas, quæ ad mores instituendos; alias practicas, quæ ad actiones & humana opera; alias enthousiasticas, quæ ad animos diuino quodam motu concitandos valent. Tum statuit, Musicam ad varios usus referri, nempe ad institutionem siue disciplinam: ad lustrationem, siue purgationem, vel expiationem, *καθάρισμα* vocat: (quæ est sedatio affectuum sacris cantibus perfici solita, de qua dictum se pollicetur in Arte poetica: quæ cum tribus libris esset comprehensa, superfuit nobis unicus in quo pauca de Catharsi dicuntur:) Et ad vitam cum honesta voluptate & animi relatione degendam. Tertiò ait omni harmonia utendum esse, sed non eodem modo. Ad institutionem enim valere Ethicam; ad audiendi voluntatem conferre Practicam, & Enthousiasticam, aliistamen canentibus, vel ludentibus. Quartò aptandam esse harmoniam auditori. Quintò Doriam ad mores conducere, quod media sit inter Lydiam, quæ ad actiones operæ humana; & Phrygiā, quæ ad diuinos motus affectusque concitandos pertinet. Vnde colligit Dorios catus pueris conuenire.

Musica
menti affi-
nis.

Alexander
Magnus
Philippo
patre re-
prehensu,
quod exi-
buss cant-
ret.
Plut. in
Pericle.
Athenens
l. 14.

Vsus Musi-
sica.

conuenire. Sextò remissorem harmoniam conuenire senibus; ut acriorem iunioribus. Denique & harmoniam Lydiam, puerū etati competere; quod illa ornatum & disciplinam contineat. Sic finit Politica sua Aristoteles, quibus multa deesse, vel hinc apparet, quod in puerorum institutione adhuc versetur. Conatus est Kyriacus Stroza Patricius Florentinus ea supplere quæ deesse videbantur, duobus libris Græcè & Latinè à se ad Aristotelis miram imitationem editis: vbi agit de facultate militari, principali, & sacerdotali. In quos suos libros ipse posuit argumentum satis clarum & facile. Quanquam Hubertus Gifanius Iurisconsultus duos illos Strozè libros non satis conuenienter instituto Aristotelis scriptos esse dicat.

In argu-
mento ad
lib. 7. Po-
lit.

APPENDIX NOVA AD LIBROS SVPERIORES Politorum.

Quæstiunculas complectens selectiores.

An Asiatici prudentes sint & ingeniosi, sed molles, timidi & imbelless; Europæi è contrà, audaces, fortes & bellicosi, sed imprudentes?

QVÆSTIVNCVLA PRIMA.

Affirmat Aristoteles cap. 7. lib. 7. Polit. vbi de indole ciuium optimorum disserit; quos ait debere esse naturâ *σωματικούς, θυμηδούς*, ingeniosos & animosos. quia qui sic affecti sunt, iij ad virtutem sunt tractabiles *εὐπόρους* appellant eleganter Græci: virtus autem scopus est & finis Reipub. optimæ, in cuius scilicet virtutis cultu & exercitio *εὐθὺς*, consistit ipsa felicitas ex lib. 1. & 10. Ethic. ad Nicom. Sed hanc egregiam indolem nō omnibus gentibus & populis ex æquo conuenire significat ibidē Aristoteles. Asiaticos enim esse quidem prudentes, & valere ingenio, ac sapientiā non tamen esse animosos, nec fortes, sed timidos & pusillanimes, id est q; seruire fortioribus. Sic enim fit inter homines, ut qui fortiores sunt, imbecillioribus & ignauis dominentur; iuxta illud veteris Poëtæ,

Pisces ut sapè minitos

Magnù comeſt, & anes enecat accipiter.

Europæos autē & septentrionales esse magnanimos, fortes, & bellicosos; sed imprudentes, temerarios, minūsq; ingeniosos, aut sciētiarū amatores. Græcos verò qui medio quodā loco ac situ disponuntur, degūntq; inter Septentrionales & Meridionales, vtrā-
tom. 3.

que facultate excellere, ingenio scilicet seu prudentiā, simul & fortitudine, animi que magnitudine. Atq; hinc fieri, ut Græci semper liberi sint nec ali s populis extensis ducibus pareant. At sanè id non omnino verum putat Marcus Tullius, qui in Tusculanis, affectu fortassis & studio partium suarum, Romanos Græcis anteponit sapientiā & animi magnitudine. Quamquam non cederet opinor Cæsari Alexander ille magnus orbis domitor, & cuī vnuis orbis minimè sufficiebat. Sed non est huius loci nec nostri instituti tantas tantorum principum de honoris prærogatiā lites componere. Esse verò Septentrionales audaces & generosos testatur Liuius lib. 37. & Lucanus his versibus:

*Omnis in Arctois populus quicunque pruinis
Nascitur, indomitus bellis, & mortis amator.
Asiaticos autem molles & ignauos, ut in
Synopsi annotavi.*

*Quidquid ad Eo stractus, mundiq; teponem
Labitur, emollit mores clementia cæli.*

Ratio est, quia Septentrionales calidiori sanguine, eoque plurimo abundant, suntq; edaces, bibaces, frigoribus assueti, & corpore proceriores ac robustiores. At copia & feruor sanguinis audaciam gignit, fortitudinem & temeritatem: sed tamē imprudentes sunt, temerarij, inconstantes, præcipites, atque interdum stupidi; quia instabiles habent & mobiles spiritus, qui calore nimio exagitantur, & præterea viuunt sub cœlo crassiore, nebuloso, & frigidiore.

Asiatici autē prudentes sunt & ingeniosi, quia fruuntur cœlo calidiore & aëre synereo & benigniore, vnde purior sanguis & spiritus subtiliores: quales requiruntur ad scientias & prudētiā: sed molles sunt tamē, timidi & ignauí, quia perflantur Austro, inquit Hippocrates li. de aëribus & aquis, & locis corpora dissolente: & quia sunt etiā secchi & graciles, paucōque sanguine prædicti, utpote sobrij, temperantes, & abstemij. Rationem ergo temperamenti, & morum, qui corporis & humorum temperiem sequuntur, à cœlo & aëre esse repetendam, significat Aristoteles: non quod hominum animos & voluntatem cogant cœlestes influentiæ ad vitium, aut virtutem; sed quod ad utrumlibet disponant, ex temperamentorum & humorum immutatione, pro dominatu, variisq; gradibus caloris & frigoris, vnde etiam ipsi mores efformantur, ut docet ipse Aristoteles Problem. 1. Seçtio-
nis 30. aureā hac celebrique sententiā *τοὺς δὲ οὐδὲν τὸ φύγετο μάλιστα τὸ ιπέρ τοῦ ιστού. imo vero* non corporis dumtaxat temperamentum, figuram, facies, humores, moresq; sed & ipsam hominis mentem, & intelligentiam afficiunt, immutantque calidæ, & frigidæ re-
giones, siue excessus frigoris, & caloris,

αἰ τοῦτον τὸν ψόχει, ἡ Καύματος, optima enim temperies menti prodest, excessus contraria, inquit ille ipse Probl. I. Sectionis 13. vibrationem hanc reddit propositi Problematis, cur iij homines qui in regionibus calidioribus, vel frigidioribus degunt, feroce sint, vel moribus efferis, & truculento aspectu, nempe quia *αἰτία καύματος της συμφορής*. αἱ δὲ τοῦτοι οὐδέποτε, atque ut excessus calorū, & frigoris peruerunt, ac emouent corpus, ita & mentem. Facit in eam rem Problema 8. Sectionis 13. Cæterum quam laudem Græcis tribuit Aristoteles, eam Gallis tribuit Baudinus Jurisconsultus Gallus, in methodo historicâ, & Antonius Contius præfatione ad institutiones iuris: nec immēritò cùm Galli, siue Franci Imperiū sibi, suis armis, ac fortitudine parauerint, illudq; præterea ab annis haec tenus mille, & ducentis suā prudentiā, & legibus optimis, inuidiāque fortitudine retinuerint, ac inconcussum, firmissimumque custodierint.

An fœtus imperfecti sint exponendi.

QVÆSTIVNCVLA II.

LEDEM hanc in Republicâ constitutuendam esse vult Aristoteles cap. 16. lib. 7. Polit. ob maius Reipubl. bonum *σεΐ* ὁ Αριστοτῆλος γε τῷ πολιτεῖον μηδέποτε ιστορίας, inquit, μηδὲ παπρατθεὶς τρίτην, ne quid imperfectum, aut mutilum alatur. ratio est, quia talis fœtus, quasi mortuus habetur, cùm nihil iuuet Rempublicam, imò sit cæteris molestus & sibi. Hanc tamen legem abrogat Christiana religio, pietas, & natura, quæ hoc tantum permittit, vt monstra prorsus noxia, & enormia, vt sancti fœtus qui bestias referunt potius quam homines, itavì à specie humanâ prorsus degenerent, exponantur, relinquantur, suffocentur. Quanquam ut constat ex legibus duodecim Tabularum, partum deformem, vel igne absumi, vel in mare abiici, vel necari præceperunt Decemviri, quod nunquam huiusmodi naturæ deliquium sine infausto præsagio continget. Vbi ergo similis partus prodiiisset, urbis lustrabatur, supplicatioque ad Deorum puluinaria edicebatur. Ex Liuio.

An procurandus sit abortus ad impediri dam liberorum nimiam multitudinem?

QVÆSTIVNCVLA III.

DEfiniendam esse lege Politicâ liberorum multitudinem statuit Aristoteles cap. 16. lib. 7. vnde colligit, quod si secundum instituta, morésque gentium, ac popolorum prohibita sit apothesis, seu expositio fœtuum, & verò plures uxori filios

sit conceptura, debeat in eo casu abortus procurari, id est, genitrix extincio, antequā viuat, & sentiat, cū minime pietas, aut religio violetur, in extinctione eius genituræ, *γένους* vocat Hippocrates, quæ vitæ, & sensu caret. Sed errauit hoc in decreto Aristoteles, non enim idem iudicium est catulorum, stirpium, & hominum: vnde licet catulos nimis multos abijcere, & stirpes luxuriantes amputare, ac amburere iure possimus: non tamen humanos fœtus encarefas est, aut genitrix extingue, quæ aliquin trahiret in perfectum fœtum, fieretq; tandem homo, nempe quia catulorum & stirpium Domini per naturā sumus, & absolutes: sed non hominum, nec filiorum nostrorum, nisi secundum quid & politicè seu moraliter. Itaque soli Deo, *κατά τινες γένεσιν*, ius vitæ & necis relinquendum. Excusat tamen Diuus Thomas Aristotelem, qui non tam ex suâ, quām ex quarundam gentium opinione locutus videatur,

An Musica affectus concitet.
QVÆSTIVNCVLA VLTIMA.

AFfirmat Aristoteles c. 5. lib. 8. Polit. Avbiait figuræ, & rerum visarum simulacra animos spectantium posse commouere, sed musicā longè fortius, & potentius. Rationē reddit Iulius Cæsar Scaliger exercitatione 32. num. 2. quia in modulatione harmonicâ motus inest, qui ad cor vsq; per aërem concentu plenum, & quasi animatum penetrat, beneficio arteriarum, atque adeo corpore ipsum afficit, quod est affectuum & passionum sedes. At harmonico illo motu carent imagines. si ergo etiā vim aliquā habeant imagines & simulacra ad animos excitados, multò maiorem habebit Musica, siue viuā voce fiat siue instrumentis musicis, citharā, lyrā, testudine, organis, tubis. Propterea enim in ipso belli procinctu solent duces, & Imperatores tubarum sonitu, & clangoribus militum animos ad strenuè, fortiterque pugnandum incitare, atque ut loquitur Poëta,

Æreciere viros, mariemque accendere catus.
Sed & narrat Suidas & alij Alexandrum magnum, cum aliquando Timotheum insignem Musicum audiisset, arduum Minervæ modulum cantantem, adeo fuisse permotū, vt inter audiendum ad arma concitaretur, diceretq; regia carmina talia esse debere. Sed mirabilius est, quod testatur D. Augustinus lib. 14. ad Marcellinū c. 24 de presbytero quodā qui Restitutus nominabatur, de parœciâ Ecclesiæ Calaminensis, quem pleriq; fratres, id est, sacerdotes solitum se suo etiā arbitratu à corpore auocare obseruārūt atq; experti sunt, præsertim cū querulâ harmoniâ (ut loquitur Marsilius Ficinus

DOCTRINÆ PERIPATETICÆ.

Ficinus lib. 13. De Immortalitate Animæ c. de Sacerdotibus) demulceretur, vel, ut ipse ait D. Augustinus, adimitatus quasi lamentantis hominis voces ita enim se auferebat de sensibus, ut iaceret presbyter ille Calaminensis quasi in ecstasim captus & similis mortuo, sine anhelitu, & admorto igne cum vreretur & searetur, non sentiebat. Experitus autem dicebat se nihil præter ipsam melodiam & voces loquentium in ipsa abstractione, seu ecstasi sensisse, quo Musices effectu quid potest esse maius quod admirabilius? an fortassis id propterea verissimum existimari debet, quod arcana quædam prorsusque mira sit harmonia ut animæ rationalis sympathcia & consensus, cū anima ipsa à veteribus, præsertim à Pythagorâ & Platone, harmonia fuerit appellata. Sed hæc de Quæstiunculis selectioribus dicta sufficient ad libros Politicorum Aristotelis.

Synopsis Oeconomicorum Aristotelis.

Rationem rei familiaris ac domesticæ, quæ oeconomicæ dicitur, explicat Aristoteles duobus libris. Priore quidē sex capitibus constante, vbi de discrimine Oeconomicæ & Politicæ, de partibus domus, de ratione opum acquireendarum, de officio coniugali, de seruis & hero. Posteriore, qui per capita distinctus non est, & totus fere historicus, de formis siue generibus Oeconomicæ.

Ad Cap. primum lib. I.

Distinguit Oeconomicam à Politica, non tantum ut domum à ciuitate; seu penes obiecta, sed quod Politica multos requirat magistratus imperantes; Oeconomicæ vero unum patrem familias, quasi sit Monarchia. Tum Oeconomicam ait esse ex genere earum artium, quæ & opus faciunt suum, & eo vtuntur: cū ipsa domum parer & instituat, eaque vtatur. Tertiò Oeconomicam genesis & origine priorem esse Politicam, ut domum ciuitate.

Ad Cap. secundum.

Replet quæ iam antè docuerat i. Polit. de partibus domus. Curam Oeconomici primam debere esse agriculturæ, ut aratum maximè naturalis & iustæ.

Ad Cap. tertium.

Agit de societate coniugali, quā ait esse naturalem & necessariam: neq; tantū ut vita propagetur, sed ut bene traducatur, atque ex liberorum procreatione sequatur utilitas parentum; qui quod officium iunioribus liberis præstitere, idem à libertis grandioribus, ipsi seniores facti recipient; item ut speciei cōseruatio sit perpetua. Tum Dei prouidētiā admiratur, qui societatem viri & vxoris sic instituit, ut licet utriusq; officia naturāmque distinxerit, & quasi contraria

ficerit, in unum tamen finem id est in bonū familiæ, ambo conspirent. Sic virum esse vigilēm fortiorem & robustiorem, ut bona parta tueatur, & acquirat foris, domūmque afferat; uxorem imbecilliorem & meticulosam, ut bona conseruet, & discat stare domi. Interim ab utroque liberos procreari; sed à matre educari sive nutriti, à patre instrui & eruditiri.

Ad Cap. quartum.

Præcipit ne uxori maritus iniuriam inferat: Iuxta legem Pythagoræ prohibentis eam violare, quæ ad focum siue lare domus supplex confugerit. Esse enim larem, securitatis locum & quasi Asylum. Inferre vero maritū iniuriam uxori, cū adulteratur. Sie Venere vtendum, ut nec egeat presentes, nec absentes: itavt siue adsit, siue absit coniux, nihil utriusque desit. Virginem

Nefas uxorem levare.

Ducenda virgo.

Dissimilitudinem morum destruere amicitias. Vitandum nimium in vestibus ornatum. Vitam illam comptiorem Tragedorum scenam redolere.

Ad Cap. quintum.

Statuit Oeconomicum ante omnia seruos probos debere sibi comparare. Eos vel esse ἀντίστοιχοι, procuratores, vel εργάται, operarios. Omnibus conuenire opus suum, castigationem, alimentum. Sed vino iis fere interdicendum. Seruorum mercedem esse cibum. Finem vero, libertatem; quævis exacto certotempore concedi debet.

Seruorum distinctio.

Oeconomici partes ait esse, ut querere, & quæsita seruare, iisque prudenter vti possit. Nam

Nō minore est virtus, quæ querere, parta queri.

Plus est seruasse repertum,

Quam quæsisse nouum.

Alioquin ἡθικὴ αὐτεῖν τὸ τέλος, ἐπὶ τῷ ὁ λεπτός περιηγήσεως πέδος. Cribro aquam haurire est, vel pertusum diceretur dolium, quo Belides aquas in pœnam hauriunt apud inferos. Item ut possessiones, (puta agros, hortos,) plures habere fructuosas, quam amoenas. Item quæ sunt diuersi generis, ut si una, nempe vitis pereat,

Onicius. Claudius.

Præcepta Oeconomicæ.

alia seruetur, nempe seges, sylua, pratum. Denique debere herū omnia videre. Oculis enim domini saginat equū. Domini vestigia, agri sterquilinium optimum. Debere herum à somno primum excitari, postremū cubare. Sanitatem spectandā. Domum sic debere esse sitam, ut æstate ventis, hyeme soli exponatur. Locupletiorib. familiis utilissimum esse ianitorem. Deniq; ad expeditiorem vasorum usum & totius suppelletilis, debere omnia suo loco disponi, quod vocat τὸ λαχωνικὸν, rationem Laconicam. Obsletus lector, multū esse hunc Oeconomicū libel-

lum, & quæ sequuntur addita fuisse ab interpretibus, ab hac particula Græca, ἀντίχεια, vel Latina, ad probam mulierem, &c. usque ad lib. 2.

Ad librum secundum Oeconomicorum.

Suspicio est non esse Aristotelis, obstylum laxiorem, & historicam eorum qui arte pecunias pepererunt, enarrationē. Putat Leodegarius à queru, Regius olim eloquentiæ professor in Parisiensi Academia clarissimus, tres Oeconomicorum libros, Aristotelis nomine circumferri, & qui Latinitate ideo donati sint, sed secundum & tertium esse adulterinos. Ut res sit, est hic liber bipertitus. In priore enim parte distinguuntur species quatuor Oeconomicæ, pro ratione personarum, & ordinum. Prima est Regia, quæ quadruplex, numorum, rerū exportandarum, importandarū, impendiorū siue sumptuum. Satrapica, siue Præfectorum prouinciæ: cuius fructus petuntur ex agris siue ex decimis, ex regione in qua fodinæ sunt auri, vel argenti, vel æris, ex mercatura, pecuaria. Politica siue civilis & publica, cuius fructus & utilitates à regionis conditione pendent, mercaturis, ludis. Priva ta, quæ multos habet modos rei familiaris, amplificandæ, ex agris, ex operis, ex usura pecuniæ. In parte posteriori enarrantur artificia & consilia eorum hominum, qui pecunias callidè olim plurimas college runt. Sed hæc sola indigent lectione, ut intelligantur.

Summa
huius li-
bri.

Ad libros Aristotelis de Arte Rhetorica.

Scipio Aristoteles de Arte Rhetorica ad Theodecten Phaselitanum, discipulum suum, insigne Rhetorem & Philosophum; (cuius defuncti memoriam ipse celebrait Alexander magnus, publicis choreis & floribus ac corollis eius statuæ propria manu impositis, ut refert Plutarchus in vita Alexandri;) & ad Alexandrum Magnum, ut constat ex epistola ipsius Aristoteles ad Alexandrum, quæ in Rhetor. ad Alexand. est loco capituli primi. Ad Theodecten quidem, tres libros, quorum epigraphæ est ΑΕΙΓΟΤΣΑΛΙΣ ΤΕΧΝΗΣ ΠΡΑΞΕΩΣ. Ad Alexandrum verò, unicum, cuius inscriptio est, ΠΡΑΞΕΩΣ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ.

Summa
lib. 1.

Ac primo quidem libro ad Theodect. 15. capitibus constante, Dialecticam & Rhetoricam inter se quasi sorores comparat. Tum definit Rhetoricam, Facultatem in qua re considerandi quod aptum est ad persuadendum, τοῦτο παραδοῖ, siue ad faciendam fidem. Fidem verò aliam ait esse circa ἄποψην, inartificialia, quæ à nobis non excogitantur, sed per se præsto sunt, vetustes; aliæ

circumstancia, artificioſa, quæ à methodo noſtrāque arte pendent. Et orationem quidem tribus constare, oratore, quæſtione, auditore. Orationis verò tria esse genera, συμβολικὴ, διցιονὴ, διδακτικὴ, deliberativum, iudiciale, demonstrativum, de quibus agit sigillatum, eorumque obiectis, id est, iis quæ cadunt in deliberationem, & quæ pertinent ad laudem ac vituperium, quæ sunt generis demonstratiui; & ad iniurias, accusations & defensiones, quæ generis sunt iudicialis.

I I. Lib. 26. capitibus constante, agit de mouendis affectibus, irâ, mansuetudine, amore, odio, metu, pudore, gratia, misericordia, indignatione, inuidia, xmulatione siue zelo, de moribus iuuenum, senum, vi- Summa
rorum, nobilium, divitum, potentium & lib. 2. fortunatorum: Postea de possibili, impossibili, facto, magnitudine, paruitate rerum, de exemplis, gnomi siue sententia agendorum, de enthymematibus, eorumque locis, & solutionibus, denique de amplificatione ac diminutione.

I II. Lib. 19. capitibus constante de partibus Rheticæ, elocutione, ciuisque generibus, de translatione, & proportione, subiectione ante oculos, de dispositione, protomis demonstratiuis, iudicialibus, de liberatiuis, mei discorsi, de criminatione, de narratione, quæ dicitur διήγησις; mei mīstis lib. 3. ad de fide, seu confirmatione & refutatione, Theod. interrogatione, responsione, ridiculis, epilogo seu peroratione.

Libro autem illo unico ad Alexandrum, præfatur, primo de dignitate eloquentiæ seu Rheticæ, quā vocat, τὸ λόγιον φιλοσοφιῶν, Summa lib. 3. ad briRhetor. cāmque Alexandro Rege dignissimam dis fertissimè demonstrat. Tum explicat gene- ad Ale- stratiua & iudiciale. Postea agit de quæſtione & probationibus, de exemplis, coniecturis quas vocat παράβολαι, de enthyme matibus, de gnomi, quam ait esse proprij sensus ac iudicij declarationem de rebus omnibus: De signo, argumento, probabili, testimonio, testibus, item mei barbis, id est, de inuita conscienti hominis confessione, quæ vulgo quæſtio dicitur, la question, lage- henne; de iureiurando, de præoccupatione, de postulatis, que scilicet ab auditore con cedi postulat orator: De repetitione, ironia, facetiis, prolixitate orationis, figuris nominum, sermonis proprietate, antithetis, adæquatione siue comparati, similiter ca dente, exordiis, narratione, confirmatione, speciebus ac modis suadendi, laudandi, vituperandi, præceptis accusandi, & quæ rendi: in quibus omnibus non decet nos diutiū morari, qui Philosophica potius quam Rheticæ sectenur.



ΑΡΙΣΤΟΤΕΛΟΥΣ
ΗΘΙΚΩΝ NIKOMAXEIΩΝ

ΒΙΒΛΙΟΝ Α.

ARISTOTELIS ETHICORVM
NICOMACHEORVM
LIBER PRIMVS.

CAPVT I.

ARGUMENTVM ¶ Prolegomena tria declarat. Primum, De subiecto philosophiae Ethice. Alterum, De modo illam tractandi & explicandi. Tertium, De auditore, & discipulo.

DION. LAMBINO INTERPRETE.

MNIS ars, omnisque docendi via, atque institutio, itemq: actio, & consilium, bonum aliquod appetere videtur. Idcirco pulchrè veteres id esse bonum pronunciarunt, quod omnia appetunt. Sed videtur fines inter se discrepare. Alij enim sūt muneris functiones, alij præter eas, opera quædā. Quorum autem rerū, præter actiones, aliqui sunt fines, in his opera sunt actionibus meliora natura. Cū verò multæ sint actiones, artes & sciætæ; tū multi quoq; fines extiterunt. Nā medicinæ finis est, bona valetudo: artis ædificandarū nauium, nauis: artis imperatoriæ, victoria: rationis eius, quæ in re familiari tuenda versatur, diuitiæ. Quæcunque autem artes huius generis vni alicui facultati subiectæ sunt, vt equestri ea quæ in frēnis cōficiendis occupata est, cæteræq; omnes ad instrumenta equestria comparatae: atq; hęc ipsa equestris, omnisiq; actio militaris, arti imperatoriæ, itemq; aliæ aliis: in iis

Tom. III.

ΚΕΦΑΛ. α.

Περοίμιον τὸ ὅλης τεχνητείας, τεία ἐδι-
λεῖ. α'. Οὐ τῷ τελεφοτάπου ἀγαθοῦ φίεται
ἢ παρεύσα μέθοδος, πολιτικὴ γνῶν. β'. Οὐ
ταχεῖτες εἰς τοῖς λόγοις σύν θεοῖς
τιττέον. γ. Οὐ οὐρανὸν τὸν ἡλικίαν, οὐ
οὐρανὸς δῆλος, τῆς πολιτικῆς δέσμων οἰκεῖος
ἀκρεπατής.



A ΣΑ τέχνη πᾶσα μέ-
θοδος ὁμοίως ἐ τεχνίτες Moral. li.
καὶ τεχνιτεῖς, ἀγαθοῦ τί-
τος ἐφίεται μοχεῖ. δέ τοι δικαῖος
ἀπεφίνετο ταχατόν, οὐ
πολύτας ἐφίεται. δέ τοι δικαῖος
τὸ φαινεῖσθαι τῷ τελεῖν τὰ μὲν γάρ εἰσιν σύνερ-
γαται. τὰ δέ * τεχναὶ τεχναῖς, ἔργα τινά. ὃν δέ εἰσιν Vulg. παρ-
τέλη τιναὶ τεχναὶ τεχναῖς, εἰς τοῖς βελ-
τιώ πέφυκε τὸν σύνεργατὸν τὸν ἔργα. πολλὰ δέ
τεχναῖς εωράσσονται, καὶ τεχναῖς, καὶ τεχνητοῖς, πολ-
λαὶ γένη τὰ τέλη. ιατρικῆς μὲν γένος, υγίαν ναυ-
πλικῆς δέ, πλοίων στρατιωτικῆς δέ, νίκην οἰ-
κονομικῆς δέ, πλοδοτοῦ. οὐσαὶ δέ εἰσι τὸν τειούτων
τὸν μίαν τινὰ * δικαίαμεν, (καθαίσθαι τὸν Vulg. ε-
πιτειούτων * χαλινοποιητικήν, έποιη αλλαγήν, Vide Eu-
τριπτοικήν ὄργανων εἰσίν. αὐτῇ δέ καὶ πᾶσα πο-
λευτικὴ τεχνή τὸν τινὰ στρατιωτικήν. τοὺς δέ την καί
αὐτὸν δέ ξέποι αλλαγὴν φέρεται.) εἰς απ-

A

x. τελ. οὐκέτι τὸ τέλος σχετικόν τονίθν τέλη, πόληταν
οὗτη αἱρετά τεργα τὸν * ὑφ' αὐτῷ. Τούτων γὰρ
χάριν κάκεῖνα διώχεται. Διαφέρει δὲ τοῦτον
τὰς σπεργείας αὐτοῖς εἰς τὰ τέλη τὸν ταχέ-
ζεωρ, οὐδὲ τούτας ἀλλότι. καθάπερ
ὅτι τὸν λεγέτεσσιν ἐπισημάντι. Εἰ δὲ τὸ τέ-

Vulg. 8^o λογικὸν οὗτον τὸν ταχέζεωρ, διὸ * δι' αὐτὸν βουλέ-
υσθαι, τὰ ἄλλα δὲ Διὸς τοῦτο, καὶ μὴ πρό-
τα δι' ἔτερην αἰρεύεσθαι. (ταχέδος γάρ οὐ-
τῶν οὐδὲς ἀπειρογενής, ὡς τοῖναι κείνων καὶ
ματαίας τὸν ὄρεξιν.) δῆλον ως τοῦτο δὲ εἴν-

Vulg. 9^o ταχατὸν, καὶ τὸ δρόσιον. * ἀρέσκειν καὶ ταχέ-
